

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

VI.

S. D. Reverende & clarissime vir, amice carissime.

Literæ tuæ, unâ cum exemplis Orationum de tribus Cæsaribus, rectè mihi redditæ sunt, ac tibi gratias pro officio amanter ago. De Marchionis Jacobi Badensis conjugis, resolutionem tuam avidè expecto. Chronicon si exprimere Bern. Jobinus recufabit, vel si nondum excudere cœpit, in nondinis remittes. Intelligo ex D. Reufnero, eum Icones vitorum literis illustrium sub prælo habere. Ejus operis partem secundam, si aliquo usq; perduxit, quæso, ut meam effigiem & Epigrammata adscripta, per hunc tabellarium ad me mittas. Exemplar integrum typographo solvam, & si quid mutari velim, meo sumptu recudi paginam curabo. Historiam obitus conjugis Casimiri D. Posthiius mecum comunicavit. Faminæ optimæ de fine miserarum gratulor. Quod de Parisiensibus deditis significas; literæ Antverpiæ & Colonia recens allatæ indicant, obsessos adhuc durare, donec Hispani auxilia ex Belgico adveniant. Comunicabis igitur, quæ isthuc certa & exploratè cognita interim allatæ sunt. Fauces Sabaudicas à Genevensibus teneri sanè optarim. Jacobus VI. Scotiæ rex Buchanani discipulus, semestre totum ferè, in Norvvegia & Dania hæsit. Cùm enim Annam, Daniæ regis sororem, legato illius Georgio Reichs, regni archimarschalco, & Marciæ ac borealis Scotiæ Governatori, Regis vices tenenti, desponsatam, adversis ventis in Norvvegia sinu Aliœnsi detineri ex suis intellexisset, ipse ex Scotia ad sponsam in Norvvegiæ oppidum Ailoiam propeans, hyme, maturius hoc anno ingruente, oppressus, Nuptias cum sponsa 23. Novembr. celebravit. Inde à Daniæ regina sociu & senatu regni invitatus, per Norvvegiæ scopulos, nivibus obrutos, & Nylosiam, Sueciæ provinciam, & Scania oppida, progressus, Cronenburgum in Selandiam tandem pervenit, 21. Januarii. Ad eum mensè Aprili Ulricus dux Megapol. Sponsæ avus maternus, & Henricus Julius Dux Brunsvic. ex Germania trajecerunt, ac præsentè illo, Henricus Julius, ipso die Paschæ, cum Elisabetta, Scotiæ reginæ sorore, matrimonium inchoavit. Rex, exeuntibus feriis, navi concessa & felici navigatione usus, Cal. Maji Lethæ appulit, ubi quomodo acceptus sit, ex adjuncta pagella cognosces. Regina Scotiæ 17. Maji coronata est. Sororem Reginæ Ducissam Brunsvic. mater Daniæ Regina, in domum mariti Wolfferbytum deductura, in feriis pentecostes, publicas conciones apud nos præsentia sua cohonestavit, nunc apud Patrem Ulricum Ducem Megapol. Güstrovæ hæret, qui Wolfferbytum usq; siliam & neptem comitabitur. Bene vale. Rolsbochii, die Solstitii æstivi, 1590.

David Chytraus.

VIII.